



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XXXI. Fraternitätsbrief des Klosters zum heil. Geist bei Salzwedel für Heinrich, Grafen von Lüchow, am 10. März 1303.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

XXX. Heinrich, Graf von Lüchow, schenkt dem Kloster Diesdorf das Patronat der Kirche in Schneen zu seiner Memorie, am 27. Juni 1302.

Nos dei gracia Henricus, Comes in luchowe, omnibus tenorem presencium inspecturis — — notum esse volumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos corde sincero ob salutem anime nostre et omnium parentum nostrorum tam viuorum quam mortuorum, Jus patronatus ecclesie Sneghen in honorem ihesu christi et laudem matris eius intemerate uirginis marie ecclesie in distorp contulimus perpetuo possidendum, vt memoria nostra eo fidelius peragatur ibidem. Ne autem ullus nostrorum succrescentium seu alienorum nostro in domino regnantium, nostrum post discessum, assensum et ratificationem facti nostri supra jus patronatus prelibatum, quod ecclesie in distorp et conuentui contulimus per conamina temeritatis et instancias illicitas presumat contaminare potenter, quod absit, nostri sigilli munimine presens auctenticum nostrum firma tuicione et inconuusa protectione iugiter confirmamus. Huius rei testes sunt Dominus Johannes prepositus in Luchowe, Dominus Rabodo de plote, Dominus heynricus zabellus, Dominus thidericus de dudzinghe, Dominus Heynricus elitzing, Dominus Albertus magnus, milites, wernerus de arneburg, vlricus et hermannus zabelli, Otto de dannenberge, Hoyerus, burgeneses in luchowe et alii quam plures fide digni. Datum et actum luchowe, anno dominice incarnationis M°. CCC°. II°. V°. Kalendas Julii.

XXXI. Fraternitätsbrief des Klosters zum heil. Geist bei Salzwedel für Heinrich, Grafen von Lüchow, am 10. März 1303.

Nobili viro et honesto, domino Henrico, Comiti in luchowe, Albertus prepositus, Johannes prior, Totusque Conuentus fratrum Regularium Ecclesie Sancti spiritus extra muros Saltwedele salutem et pacem in domino sempiternam. Deuotionem, quam ad nos et Ecclesiam nostram geritis ob dei reuerenciam, vt accepimus, affectu sincere caritatis acceptantes, christoque non immerito acceptabile fore credentes piis ipsam beneficiorum spiritualium vicissitudinibus compensare volentes, vos ad vniuersa et singula nostre Ecclesie suffragia, tam in morte recipimus quam in vita, plenam vobis bonorum omnium participationem, tenore presencium concedimus, que per nos nostrosque successores operari dignabitur clemencia saluatoris. Datum Anno domini M°. CCC°. III°. Sexto Idus Marci.